



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Apost. 27. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Impuram è gente suâ puellam ad illicita se pellicientem cruce neci dedit, cruce vitæ reddidit. In cœnobium deinde, divino ductu, cum venisset, dum Servatoris è cruce pendentis pedibus osculum tulit, Servator ipse amplexum illi rependit, simul suâ manu ductâ crucē fronti ejus impressit. Ipse quoque locum eum, quo sacris undis est tinctus, pedum sanctorum vestigiis insignē; eum verò, quo preces solitus est facere, cœlestibus odoribus nobilem fecit. Jam templorum portæ spontè illi pandebantur. Totus oculus illa etiam, quæ in animis hominum gerebantur, pervidit: undas sicco, cum libuit, pede perambulavit, terrâ obrutus umbilico tenus XL. dies sine cibo duravit. Obiit verò anno, postquam sacris est initiatus, VIII. verissimus Abrahæ filius. *Ex Menais.*

*Cum cruce signaris, in mentem tibi veniat omnis vis, quam crux continet, ac tum iram omnesque à ratione aversos impetus extinxeris. Cum frons consignabitur, aut reliqua membra, fac ut te ipse hostiam Deo gratam offeras. S. Chrysoft. de Ven. crucis.*

S. JOANNES APOST. 27. Decembris.

**E**CCĒ, MATER magna, filius tuus! Ecce quisquis filius MARIÆ es, germanus VIRGINIS Sodalis JOANNES, cui ultimum cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in matrem, matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Joannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cœlestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, innoxium bibit, nec ab hoc tantum abhorruit, quantum ab hæreticis, Cerintho præcipuè, quicum ne lavare quidem eisdem in balneis voluit.

luit. Amorem ejus aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cum oleo Romæ ab igne bullienti immixtus fuit. Agebat summam legis *Amorem* esse. Illud unum in ore habuit: *Filioli diligite alterutrum*. Certè quantum animos dilexerit, argumentum ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus JOANNES Episcopo unicè commédaverat, sed pessimo custodi, Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadit. Subinde JOANNES adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tandiu insequitur, dum lacrimis suis sistit, canisque, & amplexibus impeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab orco rapi, quam à cælo capi. *Ex Bar.*

*Per B. Joannis vestigia ad Redemptorem nostrum, pleno cordis amore tendamus: hujus doctrinam velut coruscantem lampadem nostris semper gressibus præferamus; pudeat jam terrenis incumbere, qui per spei desiderium ad cælestem cœpimus gloriam festinare. P. Dam. ferm. 2. de S. Joan.*

## SS. INNOCENTES MM.

28. Decembris.

**M**Ala omnia nunciabat Herodi nuncius à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos reges ferat? aut regni mei alienum heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? purpuram

D d 2

puram